



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Capvt Primvm. Quid excerpere, quid excerpta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

# AVRIFODINA.

## ARTIVM ET SCIENTIARVM

### OMNIVM.

## PARS PRIM A.

### EXCERPTORVM NECESSITAS,

### SEV EXCERPENDVM ESSE.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid Excerpte, Quid Excerpta.*

EVLOGIVS & FAVSTINVS colloquuntur.



**E**VLOGIVS Excerptum ajo, & quidem cum curâ & studio. Ad plenam conditionem vix ullus est accessus nisi hac semitâ. Quæstis principid: Quid est Excerpte, quid Excerpta nominas? Si de voce lis sit, eam à viris doctissimis usurpatam observo. Justus Lipsius in epistolicâ institutione asserit, ei, cui profectus literarius condi sit, opus esse Excerptis quibusdam. & Notis rerum. Ita & Ciceronem audio loquentem: Excerptes, inquit, ex his ipsis, si quid inest boni. Unde Excerpta dicimus, quæ veluti flores è libris enotamus.

ad plenam conditionem vix ullus est accessus nisi excerptis.

Quid sit Excerpte.

Sic, uterque scriptoriam supellestem, pennam, sepiam, chartam.

Quid an-  
non appel-  
let excerpte.

Est igitur Excerpte è scriptore quocumque cum iudicio in certas classes id annotare, ac seligere, quod iudicetur usui futurum: legere, & nihil seligere, meo iudicio, profus negligere est. FAVST. Ergo, nihil utiliter legero, nisi calamum, chartam, atramentum ad manum habeam? EVLOG. Ita profus censo: pæne omnis lectio perit, quæ nihil excerptit. Et en, ut in rem præsentem venias: Hic mihi Tertullianus Afer eruditissimus scriptor in manu. Sine hujus lectione Cyprianus diem nullum transmittat. En igitur scriptorem, & en simul scriptoriam supellestem, pennam, sepiam, chartam. Hic meus mos est à puero, non lecta tantum, sed & audita, subinde etiam visa, dignioris notæ in meum usum trahere annotando. Ita hunc, ita alios omnes auctores tracto; meos, ut possum, facio, dum ea, quæ notatu digna censo, in diversas chartas, ac classes excerpto. FAVST. Quas illas amabo? Hoc unum unicè nosse aveo. EVLOG. Festinemus, quæso te, sed lentè; hæc omnia quam poterò explicatissimè tradam, sed tempore, & loco. Jam quærimus, quid studii sit, Excerpte. In quo, nisi me fallo, vel oculis tuis fidem faciam. Vides hunc Auctorem? Ex eo selectiora suis quæque classibus inseribo. Atque hoc appello Excerpte.

Quod enim Philologus, quod Poëta è Marone aut Nasone, quod Historicus è Curtio aut Plutarcho, quod Rhetor ex Arnobio aut Cicrone, hoc Philosophus ex Aristotele aut Platone, hoc Mathematicus ex Ptolomæo aut Tychone, Medicus ex Hippocrate & Galeno, Jurisconsultus ex Bartolo, Baldo, aut Justiniano, Theologus & Concionator ex Augustino, Chrysofotomo, aut

A Bernardo in suum trahit usum excerptum. Sine his notis nec Philologi, nec Medici, nec Jurisconsulti, nec Theologi, ad illustrem & amplam eruditionem pertinent. Excerptum est, aut ignorantia nomen in pluribus subeundum. Et primam assertionis hujus rationem subjungo.

#### CAPVT II.

*Excerptorum necessitas ob memoriae inconstantiam.*

**O**Mnium, quæ audis, quæ vides, quæ legis, meminisse, non hominis est, sed genii celestis. Memoria humana segniss, angusta, volatilis, infidelis est, nisi suis fulciatur adminiculis. Sed tenacissima sit, fieri tamen non potest, ut omnium retinens sit, quæ pluribus annis studiosa lectio retineri vellet. Labor improbus tot rerum imagines in hoc ærarium memoriae recondit; reconditas diutissime sine excerptis conservare, vix ullus labor impetraverit. Operosum est, suis quæque foribus in hunc memoriae recessum, & nescio quos secretos sinus congerere. Magna molis est in hoc spelæum, quod in occipitio suspendit natura, terrarum molem importare, calorum immensitates, undarum flammarumque regna concludere, difficillimum est huc congesta, velut aureos nummos arcâ cœcere.

Magna vis est memoriae, non nego, prætorium grande, penetrabile amplum, sed non infinitum. Certos ea limites ac fines habet, ultra quos progredi non permittitur. Hic rerum diversarum imagines certis velut cellulis reponuntur, sed nisi reposita habeant custodes, qui servant, illum memoriae carcerem nullo negotio effringunt, & aufugiunt. Fit nonnunquam, ut subinde frumenti plurimum in alatos vermiculos animetur, hinc totis pæne granariis, frumentum vivum evolat: ita profus imagines rerum in memoriam velut pensile horreum immixta, domino non advertente se subducunt & evolant. Vis retinere? Custodes adhibe, Notas & Excerpta.

Questus jam olim Augustinus de memoriae labore. *Quam multa, inquit, hujusmodi gestat memoria mea, quæ jam inventa sunt, & sicut dixi, quasi ad manum posita, quæ didicisse & nosse dicimur? Quæ si modestis temporum intervallis recollere desivero, ita rursus demerguntur, & quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denovo velut nova excogitanda sint in idem iterum. Tot nimirum novæ rerum notiones memoriam subeunt, ut priores & vetustæ aboleantur, imago scilicet imaginem expellit, aliis aliæ succedunt.*

Q 99 4

Memoria